





No: 584.

1749/16

GERMANO SVO OPTIMO
CARISSIMO

IOANNI FRIDERICO
A MANNSBERG

ERVDITIONIS SPECIMEN
HABITA DE PRIVILEGIIS DISPUTATIONE
PVBLICE EDITVM

EX ANIMO GRATVLATVR,

ET

ABEVNTI EX HAC ACADEMIA

VALEDICIT

SIMVL

PACTVM INTER MILTIADEM
ET LEMNIOS DE CESSIONE

INSVLAE

ILLVSTRAT

ET AD REGVLAS IVRIS NATVRAE

ET GENTIVM ACCOMMODAT

ADAMVS CHRISTOPHORVS
A MANNSBERG

EQVES LVNEBVRGICVS.




GOTTINGAE

STANNO HAGERIANO c1b10ccxxxxix.

Handwritten signature and mark



GERMANO SVOLUTIVO
CARISSIMO
IOHANNI RUDOLPHO
AMANNBERG
HABITA DE PRINCIPALIS DISPUTATIONIS
PUBLICE EDITAM
CAROLINO GRADUATA
ABE VITAE MAG ACADEMIA
VALESCIT
FACTVM INTER MITHADEN
KIT LINDORF DE GESSIONE
KUNIAE
IN VITAE
ET AD REVERENDI IUDICIS
ET CETERVM ASSUMPTA
ADAMVS CHRISTOPHORVS
AMANNBERG
GOTTGALD
STANO HEBERD



CARISSIME MIHI AC SVAVISSIME
GERMANE,



A duenit iam illa dies, qua huic no-
strae Georgiae Augustae vale di-
cens, ad alias Musas iter paras,
vbi studia, in quae apud nos
tanta opera incubuisti, aucto in
dies animi TVI in literas ardore, prosequaris.
Ut vero & gratum TE esse erga se sentiat Aca-
demia nostra, & quantum in omni eruditionis
genere apud se profeceris, sciat, singulare huius
rei specimen edere sustinuisti, TEQUE publice ta-

A 2

lem

lem praebuisti omnibus, qualem singuli TE
semper iudicauerant. Adiungo me ad plausus
amicorum TVORVM, tamque felices studiorum
TVORVM successus non possum non publice TI-
BI & ex animo gratulari, & vt in posterum quo-
que fausta quaelibet & felicia TIBI eueniant, o-
ptare

Si quid tamen dissuadere mihi illud po-
tuisset, fuisset certe tenuitas virium mearum;
apte enim & vti TE meque decet, fieri posse,
minime confido. Vfus quippe fert, vt in hoc
genere epistolarum, quibus gaudium nostrum
amicis nostris publice declaramus, primum a-
micos laudibus vsque ad sidera tollamus, deinde
doctum aliquod argumentum docte nobis pertra-
ctandum sumamus, vt laudando alios, nos ipsos
quoque laude aliqua dignos esse demonstramus.

Quod ad primum, equidem prius in me facultatem
TE pro merito laudandi, quam in TE ma-
teriam laudis desiderauero, siue propter egregiam
quam

quam dedisti studiis operam, siue propter suaui-
tatem in vsu familiari, siue denique propter fer-
vorem tum in amicitia tum in amore, quo me
semper complexus es vere fraterno. Sed quid?
Laudo TE quem tamen laude digna facere quam
laudari malle scio. Accedit ad hoc, quod me
verecundia quaedam cohibet, quodque vereor,
ne quis putet me hoc assequi velle, vt de TVA
laude particula quaedam ad me redeat.

Nunc alterum illud, quod cum amicis do-
ctis, docte quoque agendum est, illud vero in
quantum excedat vires meas, quem minus igno-
rare decet quam TE, qui me ita, vt ego me,
noscis.

Quid ergo? nonne melius fecissem si plane
tacuissem? hoc vero a me impetrare non potui.
Gaudium enim quod ex ornamentis TVIS cepi,
maius fuit, quam quod animus meus caperet.
Iussi igitur foras prodire, quod si parum docte
aut eleganter fiet, illud saltem consecutus ero,

quod mihi ipsi & amori meo obtemperauero, quem quidem & cognouisti maximum semper & cognosces, quamuis abitus TVVS mihi prae-ripiat istud gaudium, quotidie eum TIBI demonstrandi.

Repeto igitur quae iam ad felicitatem TVAM, Germane carissime, vota misi; Faxit precor, Deus ter optimus maximus, vt TIBI ita bene sit vt ego capio, sic nunquam boni quidquam TIBI deerit.

Adieci quaedam de validitate pacti illius inter Miltiadem & Lemnios, quod Probus nobis refert, non tam vt periculum virium mearum faciam, quas exiguas esse scio, quam vt morem longo vsu receptum seruem.

Extra omne pene dubium positum est, nul- lam rem plus facere ad gradum aliquem in quo- cunque genere eruditionis assequendum, quam studium illud, quod auctoribus tum Graecorum tum Romanorum, quos vulgo classicos vocant, dica-

dicatur. Ex illis enim non historiam modo discimus illorum temporum, antiquos ritus & reliqua scitu dignissima, sed ingenia imprimis antiquorum & magnorum hominum cognoscimus, quin quotidiana quasi cum illis familiaritate conciliata, animae, si ita dicere fas est, illorum in nos transeunt, ut eadem sentiamus, eadem loquamur, eadem agamus quae magna illa ingenia. Quae certe praemia tanti existimanda sunt, ut neminem ne in fastigio quidem collocatum, nedum literis deditum dedecere putem, assidua manu haec antiquitatis monumenta tractare. Ego quidem nunquam, aut sine fructu, aut certe voluptate inde relata, illa sepono.

Id quod & nuper accidit, cum in locum illum Aemilii Probi inciderem, qui pactum inter Miltiadem & Lemnios de cessione Insulae refert. Vidi nempe ex eo, non absque voluptate sed & cum aliquo dolore, specimen aliquod, quam bene remotissima quaeque tempora cum nostris conveniant, quamque ineptae sint quere-
lae

lae illorum, quibus tempora hominesque in dies in peiora ruere videntur. Nullum hodie pactum tam ambiguum fieri potest, nulla promissio tam lubrica esse, nulla ad bellum tam leuis causa tam vanus titulus, cuius non exemplum in historia sit inueniendum. Sed & illud dicendum est, iustum & aequum tantam omni tempore vim habuisse in hominum animos, vt non facile illud facto aliquo laedere, nisi saltem speciem aequitatis praetexere possent, auderent, illam quidem interdum ita leuem, quae ab vnoquoque facili negotio refelleretur.

Sed opus est vt ad rem ipsam pertractandam me accingam. Factum Miltiadis quod illustrandum mihi sumsi, memoriae proditum est ab Aemilio Probo in vita Miltiadis Cap. I. & II. verbis sequentibus:

Hoc oraculi responso, Miltiades cum delecta manu classe Chersonesum profectus, cum accessisset Lemnum & incolas eius insulae sub potestatem redigere vellet Atheniensium, idque vt Lemnii sua spon-

te

te facerent, postulasset, illi irridentes responderunt: Tum id se facturos, cum ille domo nauibus proficiscens vento aquilone, venisset Lemnum; Hic enim ventus a Septentrionibus oriens, aduersum tenet Athenis proficiscentibus. Miltiades morandi tempus non habens, cursum direxit quo tendebat, peruenitque Chersonesum. (ex Cap. II^{do}.) Chersoneso tali modo constituta Lemnum reuertitur & ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. Illi enim dixerant, cum vento borea domo profectus eo peruenisset, sese dedituros: Se autem domum Chersonesi habere. Careres qui tum Lemnum incolebant, etsi praeter opinionem res ceciderat, tamen non dicto, sed secunda fortuna aduersariorum capti, resistere ausi non sunt, atque ex insula demigrarunt.

Possẽm hic, si propositum meum ita ferret, vitam & magna belli facinora, ducis inter Graecos clarissimi, grandibus verbis eloqui; possem insulae Lemni situm, naturam describere, quin & breuem eius historiam dare: sed & virium mearum tenuitas & angusti limites epistolae illud recusant.

B

Sumam

Sumam igitur ex omni Miltiadis vita, singulare hoc tantum factum cum Lemniis, illudque secundum praecepta iuris naturae & Gentium examinato, secutus ea in re exemplum virorum doctorum IOH. FRANC. BVDDEI, & CHRISTIAN. GOTTL. SCHWARZII, quorum ille in selectis Iuris N. & G. exhibet specimen iurisprudentiae historicae, seu conspectum controuersiarum illustrium Iuris N. & G. ex historia Romana, hic vero edidit, controuersiarum iuris N. & Gent. ex Graeca historia illustratarum specimina, hoc tamen Miltiadis facto omisso.

Sequor, quod ad historicam veritatem, auctoritatem Probi, quamuis non ignoro, quaecunque ille de Miltiade suo refert, ab Herodoto Lib. VI. non de alio solum Miltiade, patruo nostri, sed diuersa quoque ratione narrari, ita vt Probus aut aliud egisse, aut ex graeco quodam fonte, quem nos ignoramus, hausisse videatur. Sed quidquid eius rei sit, nostra parum refert, qui id solum acturus sum, vt quae de Miltiadis
& Le-

& Lemniorum pacto refert, siue illa certa sint siue suspecta, ad normam aequitatis naturalis reuocem.

Deprehendo itaque promissionem sub conditione factam, & disquiram, an illa valida an haec impleta fuerit. Antequam vero illud agam, praemitto generalia quaedam principia, tum ex logica arte tum ex iure naturali hausta, ad quae argumentum ipsum probationemque eius deinceps reuocabo.

I.

Promissio est declaratio voluntatis nostrae, de quodam alteri praestando, coniuncta cum translatione iuris in ipsum, a se exigendi ut praestetur.

2.

Declaramus voluntatem nostram, dum per signa externa efficimus, ut eadem ideae excitentur in altero, quas ipsi habemus.

3.

Ut nostris conformes alteri ideae subnascantur, opus est eiusmodi signa a nobis adhiberi,

beri, de quibus constat, quod ideas illas in altero excitare valeant.

4.

Si signa illa sono articulato efformantur, vox oritur & sermo.

5.

Sermo noster clarus dicitur, si in altero eadem ideas, quas ipsi cum illo coniungimus, excitat.

6.

Obscurus dicitur sermo, quando diuersas a nostris in altero ideas producit.

7.

Ambiguus sermo fit, si plures & diuersae a se inuicem ideae respondere illi possunt.

8.

Potest autem vox, quae sola sensum ambiguum reddit, cum certa determinatione coniuncta, certam & determinatam significationem accipere.

v. g.

v. g. *Domus*, est vocabulum ambiguum, potest enim familiam, habitationem, domicilium, patriam significare. Adiecta vero determinatione: extructa, certum significatum accipit.

9.

Si vocem adhibemus, quae communi vsu loquendi seruato, diuersam a nostra in altero ideam excitare non potest, omni culpa vacamus, si alter in errorem deducatur, dum a communi significato recedit.

10.

Sed in eo culpa nostra versatur, si eiusmodi voce vtimur, cui iuxta communem loquendi rationem, multiplex significatus adhaeret, ita vt alteri sit impossibile iudicatu, ytram cum illa ideam coniungere debeat.

11.

Si ambiguo sermone vtimur eo animo & consilio, vt in errorem alterum deducamus, dolose agimus & illum fallimus.

12.

Si vel culpa nostra vel dolo alter in errorem deductus est; tenemur ad id quod interest, si nempe iure a nobis exigere potuit, ne vel culpam vel fallaciam committeremus.

13.

Videndum igitur est, numquid commodi alteri euenisset, numquid damni vitasset, si mentem nostram recte percepisset, & illud omne a nobis vel praestandum est vel refarciendum.

Fundamentum hoc est, regulae illius iuris: Interpretatio contra eum facienda est, qui clarius loqui debuisset.

14.

Promittimus vel pure vel conditionate. Pura dicitur promissio, quae nullam conditionem supponit; conditionata, quae supponit, hoc vel illud esse, fuisse aut fore.

15.

Si conditio de futuro adiiciatur, est ea vel possibilis vel impossibilis.

16.

Conditio impossibilis, aut absolute talis est aut hypothetice, seu physice seu moraliter.

17.

Mittimus reliquas species, tanquam nihil ad nos pertinentes. Physice autem impossibile quid dicitur, seu quia vires causarum quae extant, effectui alicui producendo plane non sufficiunt, seu quia effectus quidam tali causae tribuitur, quae ei repugnat.

18.

Fieri potest, ut possibile nobis aliquid videatur, quod reuera tale non est, aut vice versa. Si nempe causas, quae non existunt fingimus, vel eas, quae existunt ignoramus, vel nescimus, quousque ad effectum aliquem producendum valeant.

19.

Si quis errore nostro circa possibilitatem rei, laesus fuerit, qui a nobis iure poterat exigere, ne errorem committeremus, omne commodum illi praestandum, omne damnum refarciendum quod

quod vel accepisset, vel euitasset, si non erravissimus. §. 12. 13.

20.

Quae tempore quodam impossibilia sunt, eadem alio tempore possibilia esse possunt, quotiescunque nempe causae existere incipiunt, quae antea non extiterunt, aut quae extiterant cessant.

v. g. *impossibile olim erat, obscuro coelo mundi plagas indicare, & navium ad eas cursum dirigere, donec vis magnetica reperta est, quae istud praestat. Eadem ratione, nos adhuc latet modus indagandi distantiam a primo meridiano, quod vulgo longitudinem inuenire dicunt, sed poterit successu temporis reperiri causa, quae possibilem reddat solutionem huius problematis.*

21.

Qui adiecta conditione impossibili aliquid promittit, ille nihil promittit. Dicit enim se quid praestare velle, cum id extiterit quod existere nequit. Quod idem est ac si dicat, tantum abesse vt hoc faciat, quantum absit vt impossibile possibile sit.

22.

Qui adiecta conditione possibili promittit, quoniam conditionem impossibilem crediderat; ille valide promittit, propter. §. 19.

23.

Qui adiecta de futuro conditione impossibili promittit, eius promissio valida esse incipit, ex quo conditio antea impossibilis, possibilis esse incipit. §. 20.

24.

Nulla est promissio, si quis adiiciat conditionem impossibilem, quam ipse possibilem putat. Nec praestandum quidquam est, quoniam alteri non nocuit quod erravit.

* * *

Hisce principiis praemisissis, ad pactum ipsum Miltiadis cum Lemniis, pertractandum accedo. Patet hypotheticum fuisse. Neminem vero fugit, illi nullam esse validitatem, nisi conditionibus adimpletis. §. 14.

C

Igitur

Igitur I. demonstrandum est, Lemnios hypothetice, seu certa adiecta conditione promississe. II. dispiciendum, an Miltiades illam impleverit nec ne.

I. Quod ad primum attinet, quaeramus 1) de mentis declaratione rite facta, 2) de conditione adiecta.

1) Ex ipso autore patet, Lemnios voluntatem haud ambigue declarasse. Talibus enim verbis vsi sunt, quorum significatus nemini, propter vulgarem vsu, poterat esse ignotus, & quae in Miltiade nullam aliam ideam excitare poterant, quam ipsi optabant. §. 5.

Ambiguitas si forte adfuisset, in vocabulo, *domo*, esset quaerenda, quod pluribus ideis convenit, §. 7. & patet sane, simulasse Miltiadem, se aliud eo significari credidisse, ac Lemnii volebant. Quae tamen ambiguitas tam difficilis est quaesitu, vt nisi hostili animo & insulam inuadendi cupido, fuisset Miltiades, certe non inuenisset.

Quin

Quin per adiectam determinationem, omnis plane ambiguitas sublata, certusque voci huic significatus redditus est §. 8. Ponamus enim, id quod reuera ita est, domum alias significare potuisse tam quodcunque Miltiadis domicilium, quam locum vnde ortus erat, patriam, Athenas: tamen hic loci impossibile est, Lemnios locutos esse de nescio quo loco, quem, nec ipsis nec Miltiadi constabat, an vnquam habiturus sit.

Quod si vero vel maxime credidisset Miltiades, Lemnios sub domo non patriam eius, sed quemcunque alium locum, quem forte olim domicilio habitaturus sit, intellexisse; sequeretur exinde, aut ipsum insaniisse, aut credidisse Lemnios insanire, & tum pactum vel ex hoc capite nullum fuit, quod mente capti ad paciscendum inhabiles sunt. Et certe mente capti fuissent. Si quis enim sponte sua aliquid, sub conditione admodum possibili promittit, quo summum sibi damnum contrahit, non potest non pro insano haberi. Quod vero de toto Lemniorum populo qui credat, nemo erit.

Totum igitur argumentum, quod de ambiguitate Lemniorum sumere possunt, qui factum Miltiadis probari cupiunt, nullum est, & quaecunque §. §. 10. 11. 12. 13. de praestatione culpae & doli dicta sunt, Lemnios non tangunt. Sed quid ego diutius moror, difficile illud hominum genus, qui in re tam certa & tam plana nodum sibi quaerunt, qui si in Lemniorum verbis pedem offendunt, nemo satis clare loqui poterit, quin semper obscuritatem aliquam deprehendant, neque ego adeo mentem meam illis declarare satis potero.

Postremo, si quoque Lemnii ambiguo sermone vsi essent, quae tamen adhuc sub iudice lis est, probandum adhuc erit, antequam interpretatio contra eos fiat, quod clarius loqui debuissent. §. 12. Miltiades ante promissionem factam, aut iam habuit ius in insulam aut non. Si habuit; promissione non opus erat, certe illa nouum ius non tribuit, & tum nostra parum refert. Si non habuit; quod postulabat iniustum erat.

erat, & Lemniis ius competebat, eum quoquo modo, seu consilio & bellica quadam arte, seu vi & armis ab insula sua arcendi.

Spero hisce a me probatum esse, quod Lemnii satis clare locuti sint, quodque sub domo nullam aliam, quam patriam Miltiadis, Athenas, intellexerint.

2) Videamus de conditione promissioni adiecta. Illa physice impossibilis est, effectus enim aliquis causae cuidam tribuitur, quae ipsi contraria est §. 17. Auctor expresse dicit, & ex situ quoque insulae cuius facile apparet, Aquilonem nauibus Athenis Lemnum proficiscentibus, aduersum tenere. Equidem non ita plane rudis sum artis nauticae, vt nesciam, nauibus non semper opus esse vento in puppim flante, sed dirigi posse, quamuis a latere veniat: aduerso ta-

men vento nauigare, adhuc nemini licuit, & con-
 ditio Lemniorum tum demum possibilis erit, &
 promissio valida esse incipiet, cum hoc licebit.
 §. 18. 20. Cum igitur probauerim, promissio-
 nem Lemniorum sub conditione impossibili fa-
 ctam esse, per §. 21. patet, nullam fuisse.

II.) In altero capite tractationis meae pa-
 rum morabor. Nam a priori & a posteriori pro-
 bare possum, quod Miltiades conditionem non
 impleuerit. A priori, quoniam impossibilis fuit.
 A posteriori, quoniam auctor noster expressis
 verbis dicit, non Athenis sed Chersoneso illum ve-
 nisse; sub qua conditione nihil ipsi promissum fuit.

Iam ex omnibus, quae protuli, patet, pro-
 missionem Lemniorum propter adiectam condi-
 tionem impossibilem, inuolidam vel potius nul-
 lam

lam fuiffè, & Miltiadem, illam conditionem ne-
 que impleuiffè, neque implere potuiffè.

Iufta exinde conclusio fieri potest: Miltiadi
 ex promiffione nullum ius fuiffe in infulam, &
 illum summam iniuriam intuliffè incolis, cum
 eos ab infula extruderet, promiffionem, quae
 nulla erat, & conditionem impletam, quae im-
 poffibilis erat, facto fuo praetexens.

Poffem hic acquiefcere, fed e re mea adhuc
 effe videtur, lapides nonnullos, qui pedem alicu-
 ius offendere forte poffent, e medio tollere.

Primo loco eft brocardicum illud: Inter-
 pretatio contra eum facienda eft, qui clarius lo-
 qui debuiffet. Quod fententiae meae & fpeciati-
 m priori parti tractationis meae, ex oppofito effe vi-
 detur. Ita enim fecundum illud argumentari
 quis

quis potest: Certum est Lemnios ambigue locutos esse, alias enim impossibile fuisset Miltiadi, alium ex verbis eorum sensum colligere, quod tamen fecit. Ergo interpretatio contra eos est facienda, & sub domo quodcunque Miltiadis domicilium intelligendum. Quod si ita est, conditio adimpleta & promissio valida fuit. Sed haec, uti credo, iam supra a me soluta sunt argumenta. Nam primo demonstraui, Lemnios haud ambigue locutos esse, nec si forte ambigue locuti sint, obligationem habuisse clarius loquendi, quod tamen praecise requiritur, ut interpretatio contra loquentem fieri possit. §. 13.

2) Est porro regula iuris: Quae sub conditione impossibili per ultimam voluntatem alicui relinquuntur, pure, idest sine conditione, relicta esse censentur. Quam quis forte ad pacta quoque trahendam esse censeat. Sed huic tribus verbis

verbis poterat obuiam iri. Nos non de illo quaere, quid ius Romanum dicat, sed quid Iuri N. & G. conueniat. At ne disfentiunt quidem in hoc iura. Ius romanum vult, vt vltimae voluntates sub conditione impossibili factae, pro puris habeantur, non ex ea ratione, quod iuri naturali hoc conueniat, conditiones impossibiles generatim omnes pro non adiectis haberi, sed quia adest expressa legislatoris voluntas, qui adigere volebat testatores, ne omnino conditiones impossibiles adiicerent. Proinde haec regula, ne quidem in aliis negotiis ciuilibus, vllam vim habet, quia ratio legis in solis vltimis voluntatibus locum habet, vbi nemo adest, qui conditionem in se recipiat, aut si impossibilis videatur, illi contradicat, quod fieri potest in conuentionibus.

3) Denique erit qui dicat, verisimile tamen esse, Lemnios non ambigue solum locutos esse,

D

sed

sed illud praemeditato consilio fecisse, & Miltiadi verba dedisse, vt si fidem promissis haberet, & hac vice ab insula recederet, interea defensionem pararent, neque tamen valide se adstringerent ad insulam cedendum, & in tali casu Miltiadem, optimo iure, stratagemati huic aliud stratagma in vicem dedisse. Sed & huic obiectioni parata est responsio. Si enim res Miltiadis ita fuissent comparatae, vt Lemniis terrorem potuisset iniicere, & si Lemniis opus fuisset longi temporis defensionem parare; certe neque ille verbis petiisset vt sponte abirent, sed armis eo compulisset, neque tam patienter tulisset verba sibi dari; Lemnii quoque non tam planis verbis vsi essent, sed argutis magis & ad fraudem compositis. Atqui ita respondent, vt Miltiadi, nisi truncus erat, facile appareret, se ludibrio haberi, quod nunquam ausi essent facere, nisi paratum fuisset defensio.

4) No-

4) Noua Obiectio: Sed & videntur ipsi Lemnii non dubitasse de validitate promissionis suae, quod cum rediret Miltiades, sponte sua ex Insula demigrarunt. Hoc vero ipse Aemilius Probus remouet dubium. Dicit enim, Lemnios non verbis, sed secunda fortuna aduersariorum captos ex insula demigrasse. Cui ego rationi nihil habeo addere.

Germane carissime, haec sunt fere, quae ad memoriam mei TIBI commendandam scribere volui. Leuia illa forte, neque ita comparata, vt vel TVAM vel aliorum assensum inde sperare possim. Sed neque scripsi eo consilio, vt laureolam aliquam referrem, sed vt mutui amoris nostri specimen ederem, neque tam ingenium meum quam animum TIBI ceterisque eo probare studui. Amice ergo excipias rogo, quas eo animo TIBI pagellas dicare volui, vt monu-

men-

mentum aliquod extet, quo recorderis, me totum esse TVVM, & licet discessus TVVS ex hac Musarum sede, mihi quoque iucundissimam consuetudinem TVAM aliquantum intercipiat, posse illum quidem corpora nostra separare, animas vero coniunctissimas separare non posse. Vale.

Dabam Goettingae die XVII Oct.

anno MDCCXLIX.



Göttingen, Diss., 1773 g-z

ULB Halle


005 303 435

3



Nach nicht verknüpft





No: 589.

1749/16

3.

GERMANO SVO OPTIMO
CARISSIMO
IOANNI FRIDERICO
A MANNSBERG

ERVDITIONIS SPECIMEN
HABITA DE PRIVILEGIIS DISPUTATIONE
PVBLICE EDITVM

EX ANIMO GRATVLATVR,
ET
ABEVNTI EX HAC ACADEMIA
VALEDICIT

SIMVL
PACTVM INTER MILTIADEM
ET LEMNIOS DE CESSIONE
INSVLAE

ILLVSTRAT
ET AD REGVLAS IVRIS NATVRAE
ET GENTIVM ACCOMMODAT

ADAMVS CHRISTOPHORVS
A MANNSBERG
EQVES LVNEBVRGICVS.



GOTTINGAE
STANNO HAGERIANO c1o1occcxxxix.

Handwritten signature

